



**V**Volffgangus Sigismūduſ ex nobili Vurmb-  
ſerorum familia Argentinæ natus eſt , Anno  
circiter milleſimo quingentefimo decimo quinto  
Eum parentes in omni genere uirtutum educarūt,  
& domeſticis exemplis ipſum ad pietatem incita-  
runt. Erat autem iſ præclaro ingenio & optima in-  
dole præditus. Hinc parentibus & præceptoribus  
obtemperauit , & in utilem patriæ ciuem euasit . I-  
taque factum ut in ſenatum cooptatus, & honeſtis  
functionibus decoratus fuerit. Eas cum ſingulari  
dexteritate pro ſua prudentia expediret, ſupremus  
urbis magiſtratus, adeoq̃ Prætor (quem Stettmey-  
ſterum dicunt) electus fuit . Is magiſtratus eſt an-  
nuus, & per uiciſſitudines ad priores redit. In eo genere uitæ Vuolff Sigif-  
mundus magna animi moderatione uixit, & nihil, quod ad patriæ utilitatem  
& ſplendorem pertineret, intermiſit. Singularem etiam humanitatem & be-  
neuolentiam grato animo omnibus oſtendit. In primis uerò literatos homi-  
nes amat, & ſtudia promouere exoptat. Eum iam per aliquot annos inter o-  
ptimos amicos connumerandum cenſui . Hoc enim & eius uirtus & officia  
ſæpe præter expectationem exhibita meruere. Is hoc tempore etiamnum ſu-  
per eſt, & Argentinæ ab omnibus bonis ob uirtutes in pretio habetur. A-  
nonymos.